



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Passer.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

tublatam, vel diminutam auctoritatem novo juniorum invento commonstrare. Porro Ciceronianum illud pro L. Muræna, *Inventus est scriba quidam Gn. Flavius, qui Cornicum oculos confixerit*: eo spectat, ut invenisse eum rationem ostendat, qua legem sacrorumque interpretibus auctoritatem & existimationem imminueret, cum eo præcipue nomine colerentur à rudi populo, quod fastis diebus pene singulis ab eis petendi essent, ut ex ejus arcani peritia cognitioneque crederent, suamque illam scientiam magis ac magis populo venditarent: is vero cum singulis diebus ediscendos fastos populo publicasset, re jam divulgata pervicit, ut in minori deinceps pretio sacrorum interpretes haberentur, atque ita confilia eorum de tuenda existimatione prorsus evertit, Cornicumque demum oculos confixit, fama per magnam invidiam sibi comparata. Quod vero ad mentis pravitatem pertinet, ibi Propertius tangit, ubi de lenæ cujusdam ingenio & sagacitate disserit, pluribusque ejus vafra mentis & impoliti enarratis, ut uno omnia verbo claudat, ait:

Posses & attentos asu cecare maritos,

Cornicum immeritas eruit ungue genas.

Sumptum ex historia, quod Areopagita puerum damnaverunt, propterea quod is Cornicum oculos studiosius erueret, perniciosissimæ mentis id signum esse judicantes, quæ multis malo futura esset, si adolevisset.

INQUIETUDO. CAP. XXXIV.

Horus hominem in assiduo motu, mentisque agitatione ita versatum, ut neque dum cibum cepit interquiescat, per Cornicis pullos significari tradit. At rectius per Cornicem, & duos illos pullos suos dixerimus: hæc enim volans, volantes idem idem pullos aliquamdiu pascit. Nihil vero magis negotiosum hominem indicat, quam & rerum satagere: & nihilofecius interim aliquid latere.

HYEMS. CAP. XXXV.

A pud Hesiodum Cornix est hyemis symbolum, ut ejus interpretes eo versu tradit:

Μήτοι ἐφεζομένη κρώκη λακκουζα κορώνη.

quod ita Maro transtulit.

Tum Cornix plena pluviam vocat improba voce,

Et sola in sicca secum spatatur arena.

Apertius Euphorion: *ὕετοι δὲ νῆς ἴτε κρώξαι κορώνη*

DE PASSERERE. CAP. XXXVI.

Longe diversum à Cornice Passeris est ingenium, ac perinde vitæ brevitatis angustissima: Passerum enim mares anno diutius durare non posse compertum est, cuius rei causa salacitas incognitissima, quæ tot hominum etiam ante diem effectos exhaustosque viribus tradit sententi.

ANNUM VITÆ TEMPUS. CAP. XXXVII

Sedenim & Ægyptii, & aliæ quoque nationes, tempus annum per Passeris hieroglyphicum innotuerunt. Nam & Calchas, in artificio augurandi genere celeberrimus, ex Passerum numero, quos Serpens devorasset, belli Trojani tempus auguratus est, qui pro Passeribus annos, pro Angue tempus intelligeret: ut in Serpente Saturnum significari ex hujus animalis gestamine demonstratum. Solum enim, *Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas, omnia destruis*. Quare jam taceat Epicurus, neque amplius portenta derideat, neque ulterius asseveret Passerem nihil simile habere cum annis, cum & Græcorum disciplina, & hæc Ægyptiorum oracula testatissimum relinquunt, tempus annum ex figura Passeris non temere ab Homero & aliis positum.

